

DISTINCTIO XIV

Secundae particulae principalis tractatus de Spiritus Sancti processione brevis et utilis divisio, nec non praesentis distinctionis clara et aperta subdivisio, in qua sermo de emanatione temporali incipit explicari.

PRAETEREA diligenter. Ista est distinctio 14, in qua Magister postquam tractavit superius de Spiritus Sancti emanatione eternali, hoc determinat de eiusdem Spiritus Sancti processione temporali. Et dividitur in tres partes, quia primo Magister tractat de istius temporalis processione, seu missionis principio. Secundo, de eius modo. Tertio, de quodam Spiritus Sancti proprio vocabulo. Secunda incipit, ibi, nunc de Spiritu Sancto etc. Tertia ibi, Praeterea diligenter considerandum. Primam in duas, quia primo ostendit quo modo Spiritus Sanctus temporaliter procedit a Patre et Filio. Secundo, quomodo etiam procedit a seipso, ibi, hic considerandum. Prima in duas, quia primo ostendit quomodo Spiritus Sanctus temporaliter procedit a patre et filio. Secundo, inquit utrum dari possit ab aliquo homine sancto. Secunda ibi, hic quaeritur utrum viri sancti. Prima in duas, quia primo, quantum ad principium temporalis processione, ponit suam determinationem. Secundo, excludit a suo proposito quandam falsam opinionem, ibi, sunt autem aliqui. Sequitur illa pars, Hic quaeritur utrum viri sancti. Et dividitur in tres partes, quia primo ostendit quod Spiritus Sanctus non datur, nec dari potest ab aliqua pura creatura. Secundo, ostendit quomodo huic veritati auctoritas Apostoli videtur esse contraria. Et tertio manifestat qualiter illa auctoritas sit intelligenda. Secunda ibi, Sed huic videtur contrarium. Tertia ibi, sed intelligendum est Apostolum dixisse. Circa istam distinctionem quaero hanc quaestionem.

Quaestio I

An Spiritui Sancto conveniat temporalis processio?

Cum nil aliud sit processio temporalis quam progressio quadam amoris a patre et filio ad sanctificandas creaturas, non immerito soli Spiritui Sancto ascribitur, licet communiter loquendo, filium quoque procedere nonnunquam dicamus. Verum, cum huiusmodi processio non ponat in numero cum aeterna emanatione, hominibus sanctis non solum Spiritus Sancti dona exhibentur. Verum etiam et ipsum donum personaliter datur, quamvis tamen non quaecunque dona concomitetur.

UTRUM Spiritui Sancto conveniat temporalis processio. Et videtur quod non, quia ei quod est simpliciter aeternum, non convenit procedere temporaliter, sed Spiritus Sanctus est simpliciter aeternus, ergo etc. Maior probatur, quia sicut se habet illud, quod est simpliciter temporale ad aeternam processionem, sic illud, quod est simpliciter aeternum ad temporalem processionem. Sed impossibile est simpliciter temporale aeternaliter procedere, ergo impossibile videtur simpliciter aeternum temporaliter procedere. Minor patet ex fide. IN CONTRARIUM est Magister in littera, qui dicit quod gemina est Spiritus Sancti processio, aeterna scilicet et temporalis. In ista quaestione quattuor sunt videnda. Primo de eo, quod quaeritur. Secundo, utrum procedere, seu processio sit proprium Spiritui Sancto, vel sit commune sibi et filio. Tertio, utrum processio temporalis ipsius Spiritus Sancti ponat numerum cum aeterna sua processione. Et quarto, utrum in tali temporali processione detur Spiritus Sanctus personaliter, vel dona sua tantum.

QUANTUM ad primum principale, scilicet, utrum Spiritui Sancto conveniat processio temporalis, sic procedam. Primo enim ponam illud quod tenere propono circa istud quaesitum.

Secundo, ducam aliquas instantias contra me, et respondebo ad eas. Tertio adducam modos dicendi aliquorum doctorum in ista materia, et dictis eorum obviabo inquantum mihi videntur contraria. QUOD AD PRIMUM dico quod Spiritui Sancto convenit temporalis processio; quia illa processio quae est ad terminum temporalem seu ad terminum, qui in tempore cepit esse, dici debet temporalis. Sed Spiritui Sancto convenit processio ad terminum, qui in tempore cepit esse, ergo etc. Maior patet, quia omne, quod se habet per modum fluxus, sive processus inter duos terminos, quorum unus se habet ut terminus a quo, et alius ut terminus ad quem, semper illud denominatur a termino ad quem est, et ideo motus et mutationes semper denominantur a terminis ad quos sunt, ut patet per philosophum 5. Physicorum. Sed processio, ut patet ex vi vocabuli, mediat inter duos terminos, requirit enim aliquid a quo procedatur et aliquid ad quod procedatur. Minor etiam patet, quia pater et filius diligunt nos Spiritu Sancto, ergo amor, qui est Spiritus Sanctus procedens aeternaliter a patre et filio, aliquo modo terminatur ad nos, qui cepimus esse in tempore. Consequentia patet, sed antecedens ponit Magister in littera infra distinctione 32, ubi etiam intendo aliqua circa illam materiam serius tractare. ET ILLA processio potest sic describi: processio temporalis Spiritus Sancti est progressus amoris a patre et filio ad creaturam pro sanctificatione eius. In hac descriptione progressus ponitur pro genere, cetera autem ponuntur pro differentiis. Et quia processio ad tria potest comparari, scilicet ad terminum a quo, et ad terminum ad quem et ad effectum, qui sequitur huiusmodi processione, ergo ut ab omnibus huiusmodi differentiae concernentur, igitur quo [166] ad primum ponitur pater et filius, quoad secundum ad creaturam, et quoad tertium ponitur pro eius sanctificatione. HIS PRAEMISSIS primo potest hic instari contra conclusionem. Secundo contra iam dictam descriptionem. CONTRA conclusionem arguitur sic. Spiritus Sancti spiratio non est temporalis, ergo nec eius processio. Antecedens ab omnibus conceditur. Consequentia probatur, quia quae idem sunt, quicquid convenit uni et alteri, sed Spiritus Sancti spiratio est idem, quod eius processio. 2. Praeterea, Spiritus Sanctus non caepit esse in tempore, ergo eius processio non potest esse temporalis. Antecedens patet, quia in Symbolo dicitur. Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus, sed nullum aeternum capit esse in tempore. Consequentia etiam patet, quia Spiritus Sanctus sua processione accipit esse. 3. Praeterea, illud, per quod creatura elevatur supra tempus, non debet dici temporale, sed per virtutem Spiritui Sancti procedentis in nos, elevamur supra tempus, ergo etc. Maior est nota, quia per temporale non transcenditur tempus. Minor patet, quia secundum Augustinum in 3. libro De Trinitate¹, cum aliquid aeternum mente capimus, iam non in hoc mundo sumus. 4. Praeterea, omne temporale est mutabile, ergo Spiritui Sancto non convenit temporalis processio. Consequentia patet, quia cui convenit hoc, quod est mutabile, hoc de se est mutabile, nam mutabile non potest esse conditio immutabilis. 5. Praeterea, nullum mutabile potest esse idem realiter cum essentia divina, sed processio Spiritus Sancti est realiter idem, quod essentia divina, quia secundum Anselmum omnia in divinis sunt idem, ubi non obviat relationis oppositio, sed inter essentiam et processionem non est oppositio relativa. 6. Praeterea, processio sic se habet ad Spiritum Sanctum, sicut generatio ad filium. sed filius non dicitur generari temporaliter, nisi ratione assumptae humanitatis, ergo Spiritui Sancto non dicitur attribui processio temporalis, ex quo nullam naturam assumpsit. CONTRA descriptionem potest argui sic: si processionis Spiritus Sancti ad creaturam effectus est sanctificatio, tunc columba, quae apparuit Christo batizato fuisset sanctificata, et similiter nubes, quae apparuit in Monte Thabor, ubi assumpto Petro, Iacobo et Ioanne, Christus transfiguratus est ante eos. Sed illud nullus poneret. Consequentia probatur, quia Spiritus Sanctus apparuit in illis creaturis, sed nisi processisset ad eos, non apparuisset in eis. 2. Praeterea, sanctificatio creaturae est effectus totius trinitatis, ergo non bene attribuitur processionem, quae convenit soli Spiritui Sancto. 3. Praeterea, in dono prophetiae Spiritus Sanctus videtur procedere et tamen hoc donum stat quandoque sine sanctificatione, ut

¹Cap. 18

apparuit in Balaam Propheta, qui non fuit sanctus. SED ILLA non concludunt. Ad primum, ergo dicendum, quod licet spiratio et processio sint idem in significato, tamen differunt in modo significandi ex eo, quod aliquid connotat processio, quod non connotat spiratio. Nam spiratio solum connotat principium a quo, sed processio etiam connotat terminum ad quem, qui si aeternus est, processio dicetur aeterna, sicut cum amor procedit a patre in filium, et econverso etsi est temporalis, processio potest dici temporalis. Ad secundum nego consequentiam. Ad probationem dico: quia, si Spiritus Sanctus accipit esse sua processione, prout aeterna est, non ut temporalis est. Posset etiam dici, quod temporali processione licet non accipiat esse novum, accipit tamen quendam modum essendi novum, puta esse qualiter non erat, scilicet sanctificando creaturam, non tamen per mutationem sui, sed tantummodo per mutationem et novitatem se tenentem ex parte creaturae. Sicut enim Deus ex tempore dicitur creator et dominus, non per mutationem sui, sed per solam novitatem se tenentem ex parte creaturae, sic ex tempore potest Spiritus Sancti processio terminari ad creaturam, et per consequens ipse incipiet esse in creatura aliter, quam fuit, seu qualiter non fuit, sine omni mutatione et novitate sui, sed solius creaturae, ita quod nascitur quodammodo quaedam mutua relatio, quae quamvis sit realis ex parte creaturae, tamen solum est rationis ex parte Spiritus Sancti, eo quod huiusmodi relatio reducatur ad relationem tertii modi, quae, ut patet per philosophum 5. Metaphysicae quamvis sit realis ex parte mensurati, tamen est rationis tantum ex parte ipsius mensurae. Ad tertium dicendum quod aliquid potest dici temporale dupliciter. Uno modo eo quod ipsum sit subiectum tempori et motui caelesti. Alio modo eo quod ipsum sit vel est quando tempus est. Primo modo non est temporalis processio Spiritus Sancti, sed secundo modo, quamvis autem per primum non elevemur super tempus, per secundum tamen possumus elevari. Ad quartum patet per iam dicta, quia temporale secundo modo dictum non oportet esse mutabile, nam ad solam mutationem alterius tale temporale potest incipere et cessare, ut patuit in solutione secundi argumenti. Ad quintum dicendum quod quamvis omnia, quae in divinis sunt, sint idem divinae essentiae, tamen propter hoc, quod aliqua habitudo convenit aliis, quae non convenit essentiae, saepius conceditur aliquid de aliis, quod non conceditur de essentia. Etiam maior non est vera loquendo de temporali secundo modo dicto superius, de quo semper loquor in proposito. Ad sextum dicendum quod minor non est vera, quia filius Dei mente spiritualiter concipitur et spiritualiter gignitur. Unde de beata virgine dicit Beatus Bernardus, quod prius concepit Dei filium mente, quam ventre. Et sic spiritualiter genitus etiam ipse filius dicitur spiritus salutis iuxta illud: ‘A timore tuo, Domine, concepimus et quasi parturivimus spiritum salutis’. AD PRIMUM contra descriptionem dicendum quod processio Spiritus Sancti non fuit in illa columba, vel nube, vel etiam in igne, cum mittebatur Spiritus Sanctus Apostolis in linguis igneis, tanquam in termino. Sed solum tanquam in signo, et ideo non oportebat talia recipere hunc effectum sanctificationis, quia talis effectus tantummodo relinquitur ex vi processione in creatura rationali seu intellectuali, quae est illius processione terminus susceptivus. Unde sicut doctrina magistri, seu doctoris aliter est in verbo docentis et aliter in mente discipuli audientis, quia in verbo est transitorie tanquam in signo. Sed in mente discipuli suum effectum relinquit sic in proposito, etc. Ad secundum dicendum quod quamvis sanctificatio sit effectus totius trinitatis, tamen appropriatur Spiritui Sancto. Nam sicut opera, in quibus claret sapientia divina, appropriantur filio, eo quod filius sit sapientia genita in divinis, sic illa, in quibus bonitas et misericordia elucescit, appropriantur Spiritui Sancto, eo quod Spiritus Sanctus sit amor procedens in divinis. Posset etiam dici quod, quamvis simpliciter loquendo sanctificatio sit totius trinitatis effectus, tamen isto modo sanctificare, puta per modum amoris procedentis terminati ad mentem hominis est proprium ipsius Spiritus Sancti, quia in divinis non est amor procedens, seu amor notionalis, nisi amor, qui est ipse Spiritus Sanctus. Ad tertium dicendum quod licet donum gratuitum gratum faciens, puta gratia seu charitas non detur, nisi Spiritus Sancti processione, alia tamen dona non gratuita, seu non gratum facientia, sic dari possunt, quod in eorum donatione Spiritus Sanctus non dicitur procedere, sicut infra patebit, ideo talia

dona possunt alicui conveniri absque sanctificatione. De numero autem talium donorum est prophetia, ideo argumentum non concludit. QUO AD TERTIUM promissum in isto articulo est sciendum quod multi doctores multipliciter loquuntur circa istud quaesitum, quorum unus ponit hanc propositionem quod Spiritus Sanctus in tot procedit, tanquam in terminum, in quot procedit amor divinus, tanquam in obiectum. Et ad declarationem istius propositionis ipse ponit ordinem obiectorum ipsius divini amoris dicens quod divinus amor tendit primo et principaliter in essentiam divinam et in personas [167] divinas, quae ait identice participant essentiam, secundarie vero et participative, immutabiliter tamen et formaliter tendit in quidditativas rationes omnium creaturarum et in perfectiones earum. Sed mutabiliter et contingenter et non formaliter tendit in existentias creaturarum secundum esse quidditativum, ac etiam secundum esse accidentale, quod capiunt per proprietates naturales et secundum esse morale, quod capiunt ex perfectionibus virtuosis et secundum esse gratuitum, quod capiunt ex participatione donorum gratuitorum. Et subdit, quod secundum hoc Spiritus Sanctus quadam generali processione procedit in omnem realitatem creaturae immutabiliter, quia tanquam terminum formalem respicit omnes realitates rerum; processione vero spiritali procedit in perfectiones gratificantes, tanquam in terminum, in quem tendit immutabiliter et ab aeterno. In animas vero sanctas procedit mutabiliter, prout participare incipiant dona gratuita, quae sunt termini immutabiles aeternae processionis. SED IN HIS dictis multi videntur esse defectus. Primo in hoc, quod dicit personas divinas identice participare essentiam divinam, quia illud, quod habet in se totam essentiam divinam secundum omnem suam virtutem et perfectionem, et est ipsa essentia divina, hoc non participat essentiam divinam, sed quaelibet persona divina est huiusmodi, ergo etc. Maior probatur, quia participare est partem capere, dicitur enim a parte, et capio capis, ergo ubi totum secundum omnem suam virtutem et perfectionem habetur, ibi nihil participatur. Minor etiam patet, quia nomine Dei intelligitur ens perfectum universali, seu omni perfectione, ut patet 5. Metaphysicae ergo si aliqua divina persona totam divinam essentiam secundum omnem suam virtutem et perfectionem non haberet, illa non esset Deus. Item si aliqua persona non esset divina essentia, illa non esset Deus, sed participans non est participatum. Nec iuvatur illud dictum, per hoc, quod adiungitur identice, quia nihil participat seipsum, Albedo enim non participat albedinem, sed subiectum participat albedinem, quando quasi partem capit albedinis, sumpta albedine secundum totam suam intensionem. Unde si aliquod esset subiectum habens in se albedinem secundum omnem gradum et perfectionem albedinis, hoc non participaret albedinem eo, quod ipsam haberet secundum omnem totalitatem suae virtutis. Sic in proposito etc. Unde illa duo vocabula scilicet participare identice, videntur sibi mutuo repugnare. 2. Secundo in hoc, quod ponit primum et secundarium obiectum divini amoris et dicit divinum amorem secundario terminari ad rationes, quidditativas creaturarum et ad perfectiones earum, et ad existentias, non concordat cum aliis dictis suis, quae ponit inferius distinctione 35. ubi dicit quod divina cognitio non terminatur ad aliquam creaturam, tanquam ad obiectum secundario cognitum. Et ibidem ait quod cum divinus intuitus fertur in divinam essentiam et creaturam, non fertur tanquam in duo cognita, seu duo intuita, sed tantummodo in unum. EX HIS arguatur sic. Divinus amor non fertur in aliqua obiecta, nec terminatur ad aliqua nisi in ea feratur et terminetur divina cognitio, quia amor praesupponit cognitionem et bonum cognitum est obiectum voluntatis. Sed secundum illum doctorem cognitio divina non tendit in aliquid tanquam obiectum secundarium, nec terminatur ad aliquam creaturam, ergo quidditates creaturarum et perfectiones earum non possunt esse obiectum secundarium divini amoris, ad quod divinus amor immutabiliter terminetur, cuius oppositum hic afferit ille doctor. 3. Tertio deficiunt illa dicta, quia sibi mutuo videntur repugnare. Dicit enim ille doctor quod Spiritus Sanctus procedit immutabiliter in omnem realitatem creaturae, tunc pono sub illa maiori hanc minorem. Sed existentiae creaturae et animae sanctae sunt aliquae realitates creaturae, ergo Spiritus Sanctus in rerum existentias et in animas sanctas procedit immutabiliter. OPPOSITUM autem illius conclusionis ille doctor hic ponit, ut patet in praedictis. Cum igitur maior sit sua et

vera, addita minori in debita forma syllogistica, inferatur oppositum dicti per ipsum immediate, ergo patet quod dicta sua mutuo sibi repugnant. Quod, autem minor illius syllogismi sit vera patet, quia quod nulla res est omnino, nihil est, sicut dicit Beatus Augustinus, sed nequaquam est dicendum quod animae sanctae et rerum existentiae omnino nihil sint, ergo etc. 4. Quarto ille doctor videtur incidere in opinionem, quam ipsemet reprobatur. ERAT enim opinio, quae dixit quod Spiritus Sanctus dicitur procedere in anima solum inquantum dona sua recipiuntur in anima. Hanc opinionem ipse reprobatur dicens quod sic dicendo pater et filius dicerentur procedere, quia talia dona sunt a tota trinitate, cum indivisa sint opera trinitatis. Sed quamvis conclusio sua verbis dissonet a praedicta opinione, realiter tamen videtur esse eadem, quia si Spiritus Sanctus non procedit in animam sanctam, nisi inquantum anima participat dona gratuita, quae sunt terminus immutabilis aeternae processiois, tunc de plano sequitur quod Spiritus Sanctus non procedit in animam sanctam, nisi inquantum dona suam recipiuntur in anima, quod fuit conclusio opinionis per eam reprobatae. Et illud evidenter apparet ex dictis suis distinctione 14 articulo 2. quaestionis suae, ubi sic ait: Non est aliud Spiritum Sanctum in animas sanctas procedere, quam terminum processiois aeternae in animabus esse et poni ex tempore. Patet igitur, quod finaliter hic aliud non ponit, quam illud, quod antea reprobavit, ergo etc. ALIA OPINIO in isto proposito est quod Spiritus Sanctus procedit in animas per modum amantis et dirigentis et per modum amati et cogniti. SED NEC illud valet, quia in hoc non consistit ratio processiois Spiritus Sancti, quod commune est omnibus divinis personis. Sed quaelibet divina persona amat animam sanctam et amatur ab ea et cognoscit animam sanctam et modulo humanae capacitas cognoscitur ab ea. Etiam quaelibet divina persona dirigit et gubernat animam sanctam, ergo etc.

QUANTUM ad secundum articulum scilicet, utrum processio conveniat tantum Spiritui Sancto, est advertendum quod quamvis communiter et large loquendo quaelibet divinae personae emanatio possit dici processio, iuxta quod etiam filius loquens de seipso ait: ‘Ego autem ex Deo processi et veni in mundum’. Tamen illud vocabulum pro emanatione Spiritus Sancti tenetur tanquam proprium, eo quod emanatio filii proprium nomen habeat et dicitur generatio et hoc iuxta regulam topicam, quae dicit quod quando unum nomen est commune duobus, quorum unum habet nomen proprium et non alterum, tunc pro altero tenetur nomen commune tanquam proprium. Exemplum de diffinitione et propria passione, quorum utrumque dicebatur proprium, quia tamen diffinitio habuit nomen distinctum, ipsa passio retinuit hoc nomen commune tanquam proprium. Si autem arctatur hoc nomen processio ad processionem amoris, tunc dico quod non solum appropriate, verumetiam proprie convenit Spiritui Sancto sive accipiatur processio aeterna sive temporalis. De aeterna patet, quia sicut se habet generatio in divinis ad filium, sic processio amoris ad Spiritum Sanctum, sed illa est proprietas Spiritus Sancti, quia est idem quod spiratio passiva. De temporali autem processione possumus loqui dupliciter. Uno modo secundum actum, alio modo secundum aptitudinem. Primo modo non est proprietas Spiritus Sancti, quia illud quod alicui non semper convenit, hoc non est eius proprietas, loquendo de ultimo modo proprietatis, quo modo dicit Porphyrius, quod aliquid dicitur proprie proprium. Sed temporalis processio secundum actum non semper conveniebat Spiritui Sancto, quia non semper fuerunt creaturae sanctae, quae huiusmodi processionem terminarent, ergo etc. Secundo

[168]

modo potest dici proprietas Spiritus Sancti, quia sibi soli et semper convenit et converse se habet ad ipsum. FORSAN DICETUR, quod nullum temporale potest dici proprietas eius, quod est simpliciter aeternum, sed illa processio est et dicitur temporalis, et Spiritus Sanctus est simpliciter aeternus, ergo etc. 2. Praeterea, quod semper convenit aeterno, hoc est aeternum.

Sed temporalis processio non est aeterna, ergo non potest semper convenire aeterno. 3. Praeterea, quod convenit patri et filio, hoc non convenit soli Spiritui Sancto. Sed temporaliter procedere ad creaturam convenit patri et filio, iuxta illud, quod ait: 'Qui diligit me mandata mea servabit, et pater meus diligit eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus'. 4. Praeterea, nullum temporale convertitur cum aeterno, deficit enim subsistentia temporalis respectu aeterni, sed ut saepe dictum est Spiritus Sanctus est aeternus, ergo temporalis processio non habet se conversim ad Spiritum Sanctum.

AD PRIMUM dicendum quod, quamvis temporale actualiter sumptum non possit esse proprietas aeterni, tamen temporale sumptum secundum aptitudinem potest esse coaeternum aeterno et proprie sibi convenire, et ideo, licet processio actualis Spiritus Sancti ad creaturam non possit esse eius proprietas, tamen quia ab aeterno sic processit a patre et filio, quod aptitudinem habuit procedendi in creaturam posita aliqua creatura, quae terminare posset eius processionem et quae posset ipsum cum donis suis recipere, ergo talis processio sic aptitudinaliter sumpta conveniebat ab aeterno ipsi Spiritui Sancto. Et haec est intentio Beati Augustini 15. De Trinitate ubi ait: 'Ab aeterno procedebat ut esse quoddam donabile, ideo donum erat etiam antequam esset cui daretur'. Ad secundum dicendum quod temporalis processio sumpta secundum aptitudinem est aeterna, ideo semper potest convenire aeterno. Ad tertium dicendum quod procedere ut amor, nec convenit nec patri et filio, sed tantummodo Spiritui Sancto. Etiam nulla processio proprie dicta convenit patri, quia sicut superius dictum est, procedere connotat terminum a quo, et terminum ad quem, modo pater non habet terminum a quo, cum ipse non sit ab aliquo. Ad quartum dicendum quod illud temporale, de quo loquimur secundum aptitudinem sumptam, vindicat sibi conditionem aeterni, et per consequens poterit converti cum aeterno.

QUANTUM ad tertium articulum, utrum processio temporalis Spiritus Sancti ponat numerum cum aeterna sua processione, breviter dico quod processio temporalis Spiritus Sancti proprie loquendo non ponit numerum cum aeterna sua processione ita quod dicantur duae processiones, quia idem non ponit numerum cum seipso proprie loquendo. Sed processio Spiritus Sancti, quae dicitur temporalis, est idem quod aeterna et sola ratione differens ab ea, ergo etc. Maior patet, minor probatur, quia eadem processio Spiritus Sancti secundum quod terminatur ad obiectum aeternum sic dicitur aeterna, et secundum quod terminatur ad temporale dicitur temporalis. FORTE DICETUR quod ex vi istius probationis sequitur oppositum istius conclusionis, quia motus et processiones numerantur ex terminis ad quos sunt et specificantur ex eis, ut patet 3. Physicorum². Sed terminus aeternus et terminus temporalis non solum differunt numero, immo differunt plus quam genere, quia dicit Commentator 10. Metaphysicae³, corruptibile et incorruptibile differunt plus quam genere, ergo etc. RESPONDEO quod, licet processiones numerentur ex terminis, quando procedens realiter refertur ad illos distinctos terminos, realibus et distinctis relationibus, tamen si aliquod illorum defecerit, non oportet quod numerentur, sed secundum Augustinum 5. De Trinitate, Spiritus Sanctus ad obiectum aeternum refertur secundum esse, ad temporale secundum rationem, ergo processio aeterna, secundum quam refertur ad obiectum aeternum, et temporalis secundum quam refertur ad obiectum temporale, non debent dici duae processiones proprie loquendo; sed una processio dupliciter dicta. SI QUIS tamen vellet adeo large et improprie accipere numerari, modo quo ea, quae sola ratione differunt, dicuntur connumerari, tunc possent dici duae processiones. Quia eadem processio Spiritus Sancti, ut temporalis dicitur, concernit quendam respectum secundum rationem ad terminum temporalem. Nam ex hoc, quod huiusmodi terminus de novo realiter refertur ad

²Tex. c. 4 et 5

³Tex. c. 26

Spiritum Sanctum, sequitur quod Spiritus Sanctus, qui talem relationem terminat, quae realis est ex parte istius termini temporalis, ad minus secundum rationem econtra referatur. Exemplum de scibili et scientia et universaliter de mensura et mensurato, hunc autem respectum rationis eadem processio, ut aeterna est, non concernit; ideo eadem processio a seipsa differt secundum rationem et quia secundum quod aliqua differunt, sic possunt connumerari, saltem large loquendo, igitur illae processiones possunt dici duae secundum rationem. Ex hoc tamen non debet inferri, ergo sunt duae, quia ex positione alicuius cum conditione distrahente non licet inferre simpliciter, quia non sequitur, ‘est homo dictus vel mortuus, ergo est homo’, sed esse secundum rationem tantum, est esse distractum, ergo non sequitur ‘sunt duae secundum rationem, ergo sunt duae’. FORTE dicetur adhuc quod quamvis illud sit bene dictum, ubi utrumque differentium est temporale, tamen si unum est aeternum et alterum temporale, tunc licet simpliciter inferre quod duo sunt, quamvis sola ratione differant maxime cum aeternum et temporale, differant plus quam genere, ut patet 10. Metaphysicae⁴ RESPONDEO quod his, quae secundum rationem tantummodo habent esse, non competit genus proprium, nec species propria, sed reducuntur ad genus et speciem illarum rerum a quibus concernuntur; et ideo dato quod aeternum et temporale sola ratione different, tunc simpliciter loquendo nec differunt genere, nec specie, nec numero, quia illud, quod est sibi secundum rationem, reducitur ad illud, quod est secundum rem. FORTE DICES, quod impossibile est quod aeternum et temporale sola ratione differant, ideo in declaratione tua semper praesupponis falsum. RESPONDEO quod aliquid esse temporale potest dupliciter intelligi. Uno modo intrinsece, puta quia idipsum quod est caepit esse in tempore. Alio modo extrinsece, puta quia aliquid aliud caepit esse in tempore, quod vere refertur ad ipsum, cuius relationem incipit terminare in tempore. Primo modo impossibile est aeternum et temporale sola ratione differre. Sed secundo modo est valde possibile; sic enim aeternus Deus dominus cepit esse in tempore et tamen illud, quod est Deus a seipso differt sola ratione, ut Deus dicitur dominus, puta per respectum rationis, quem concernit ex eo, quod terminat relationem servi, qui caepit esse in tempore. QUANTUM ad quartum articulum scilicet, utrum in processione temporali Spiritus Sancti ipse detur personaliter, vel dona sua, ponam duas conclusiones. Prima est quod sanctis hominibus non solum dantur dona Spiritus Sancti, verumetiam ipse Spiritus Sanctus personaliter datur eis, quia illud, cui propriissime convenit nomen doni, hoc hominibus sanctis non debet denegari, sed Spiritui Sancto propriissime convenit nomen doni. Maior patet, minorem declaro. Ubi est advertendum quod donum et datum differunt in tribus. Primo, quia datum cum sit participium praeteriti temporis, ideo necessario consignificat tempus. Sed donum, cum sit nomen, ideo non significat cum tempore, et per consequens, cum abstrahat a tempore, aeternitas sibi non repugnat. Secundo, quia donum liberaliter procedit a donante, ideo in proprio suo significato [169] praescindit a retributione, sed datum ab huiusmodi retributione non praescindit. Tertio, quia donum, cum sit nomen, significat per modum qualitatis et aptitudinis, significat enim rem talem, quae ex sua natura habet aptitudinem ad hoc, quod detur. Sed datum cum sit participium significat per modum actus, sive sit talis aptitudo in eo, quod datur, sive non. EX HIS potest inferri talis descriptio doni. Donum est, quod liberaliter est tribuibile sine tempore, ex se habens aptitudinem ad hoc, ut tribuatur. Et quia illa descriptio proprie convenit Spiritui Sancto, ideo patet illa minor, quae fuit declaranda. 2. Praeterea, illud donum, quo singulis membris Christi propria dona dantur, hoc vere datur ipsis hominibus sanctis. Sed Spiritus Sanctus est huiusmodi donum, ut patet per Augustinum 15. De Trinitate⁵, ubi sic ait: ‘Per donum, quod est Spiritus Sanctus omnibus membris Christi quibuscunque dona propria dividuntur’. 3. Patet etiam illa conclusio per Apostolum dicentem: ‘Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis’. Quod verbum pertractans Beatus Augustinus 15. De Trinitate⁶,

⁴Tex. c. 26

⁵Cap. 14 tom. 3

⁶Cap. 18 tom. 3

ait quod ‘Spiritus Sanctus datur nobis, ut nos faciat Dei et proximi amatores’. Et subdit infra quod Spiritus Sanctus, per quem diffunditur in cordibus caritas, cum sit Deus etiam vocatur donum. FORTE dicetur contra illam conclusionem: Illud, quod datum est alicui, hoc est in potestate illius qui recipit ipsum. Sed Spiritus Sanctus non est in potestate hominis, ergo personaliter non datur homini. RESPONDEO quod donum potest esse duplex. Uno modo naturale. Alio modo supernaturale et simpliciter supereminens. De primo procedit argumentum, sed non de secundo, quia quamvis donum naturale transferatur in potestate recipientis, tamen donum supereminens hoc operatur, ut recipiens quodammodo extra se transferatur in potestate largientis. Et quia Spiritus sanctus, cum sit amor et caritas, perfectissime nobis datur, quando perfecte Deum diligimus, ideo plene nobis datur Spiritus Sanctus, cum per extaticum amorem in huiusmodi doni largitorem supernaturaliter transformamur. Quod attendens Beatus Dionysius 4. De divinis nominibus ait: ‘Amor, si fortis fuerit, extasim faciens transformat amantem in amatum’. Posset etiam minor illius instantiae aliquo modo negari, quia hoc agit vis ferventis amoris, quod non reliquit amatorem esse suiipsius, sed amati, ut ait Hugo de Sancto Victore in libro de Arra Sponsae. Et Beatus Augustinus ait: ‘O, anima mea, attende quid diligas; si diligis terream, terra es; si diligis caelum, caelum es. Audeo dicere quod, si diligis Deum, Deum es. Talibus enim dedit Deus potestatem filios Dei fieri, ut patet per Iohannem. Et ideo tales perfecte diligentes, aequaliter habent potestatem in patrem, iuxta quod ait filius in Evangelio: ‘Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcunque petieritis a patre in nomine meo fiet vobis’. Ergo pie potest dici quod tales homines habent amicabilem potestatem etiam in Spiritum Sanctum. SECUNDA CONCLUSIO est quod Spiritus Sanctus non datur in omni dono suo, quia quodcumque Spiritus Sanctus datur, tunc recipiens sanctificatur, vel, si sanctus est, in sanctitatis augmentatur. Illa patet ex descriptione processionis Spiritus Sancti superius habita, sed quaedam sunt dona Spiritus Sancti, in quibus nunquam confertur sanctitas; quaedam quibus quandoque confertur, quandoque non confertur, quaedam quibus semper confertur. Ideo in primis praecise stando, nunquam datur Spiritus Sanctus. In secundis quandoque sic, et quandoque non. Sed in donis tertio modo dictis semper datur. Minor hic assumpta patet, quia fides informis et timor servilis quamvis sint dona Spiritus Sancti, tamen in ipsis praecise sistendo, nulla confertur sanctitas. Item operatio miraculorum, gratia linguarum, prophetia et his similia, quandoque collata sunt malis, quandoque bonis et ideo quandoque sine sanctitate, quandoque cum sanctitate. Sed caritas et gratia nunquam conferuntur, nisi cum sanctitate, ideo etc. Et illa est intentio Beati Augustini 15. De Trinitate⁷ ubi loquens de hoc dono Spiritus Sancti, quod est caritas, sic ait: ‘Nullum donum est illo dono excellentius, sola enim est quae dividit inter filios regni aeterni, et filios perditionis aeternae’. Et ut ibidem innuit, solum cum hoc dono datur Spiritus Sanctus. FORTE CONTRA illam conclusionem dicetur, quod nullum bonum potest esse in nobis, nisi ex eo quod Deus nos diligit. Sed omne donum Spiritus Sancti quod datur hominibus, est aliquod bonum, ergo nullum donum Spiritus Sancti datur hominibus, nisi astante dei dilectione, cum ergo Spiritus Sanctus sit dilectio, igitur videtur quod Spiritus Sanctus detur in omni suo dono. RESPONDEO quod argumentum procedit de amore essentiali, qui est communis tribus personis. Ex hoc non concluditur quod amor procedens, qui est Spiritus Sanctus, in omni dono detur nobis, sed solum in donis gratuitis. SED FORTE dubitaret hic aliquis, dato quod Spiritus Sanctus detur in omni suo dono gratuito, quid prius detur? Dona, an Spiritus Sanctus? RESPONSIO, quod dici potest, quod diversis respectibus utrumque datur prius, nam quantum est ex parte donantis, prius datur Spiritus Sanctus. Sed quantum est ex parte recipientis, prius recipiuntur dona. Nam pater et filius non dant nobis dona gratuita, nisi dando nobis amorem suum, qui est Spiritus Sanctus. Amor enim est primum donum mediante quo amans dat omne quod dat. Et anima sancta non recipit tantum donum, nisi mediante dispositione congrua, quae sit per dona gratuita. Sicut

⁷Cap. 18 tom.3

enim, si aliquis clavum infixum ligno expelleret alium clavum impellendo, quamvis impulsio et expulsio essent simul duratione, tamen quantum est ex parte agentis, prius naturali intelligentia est impulsio, quam expulsio, quia non expellit nisi impellendo. Tamen, quantum est ex parte recipientis, prius sit expulsio quam impulsio, quia non recipit nisi dimittendo, sic in proposito etc. Ratio primi est, quia causa naturaliter est prior effectui, sed Spiritus Sancti processio ad nos est causa gratuitorum donorum in nobis, ergo etc. Ratio secundi est, quia dona gratuita Spiritus Sancti sunt quasi quoddam medium, per quod coniungimur Spiritui Sancto, sed prius pervenitur ad medium quam attingatur extremum, ergo etc. AD ARGUMENTUM principale dicendum quod, quamvis illud quod est simpliciter aeternum non possit procedere temporaliter mutatione sui, tamen hoc potest sibi competere sine sui mutatione, et ad solam mutationem illius, ad quod procedit. Ad probationem dicendum quod non est simile, quia temporali non potest competere aeterna processio; quia nihil procedit, nisi dum est, vel fuit. Sed temporale nec est ab aeterno, nec fuit ab aeterno. Sed temporalitas potest competere aeterno non intrinsece, sed extrinsece, sive appellatione extrinseca, prout superius plenius est declaratum, ideo etc.